



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

31. An Sacerdos, qui per alterum Sacerdotem Missam celebrare facit, possit retinere excessum confueti stipendij, si sponte condonetur? Et asseritur Episcopum non posse ordinare, quod Sacerdotes non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

dictæ Ref. & in Ref. 26. prope finem vers. Deinde, sed lege eas per totas.

Missam celebrare debebat, utpote, quia amicus, vel coniunctus. Si in primo casu, puto non satisfacere, secus autem in secundo.

RESOL. XXXI.

An Sacerdos, qui per alterum Sacerdotem Missam celebrare facit, possit retinere excessum consueti stipendij, si sponte condonetur?

Et asseritur Episcopum non posse ordinare, quod Sacerdotes non dicant Missas pro minori stipendio à lege taxatum. Ex part. 2. tract. 14. Ref. 13.

Sup. hoc supra in Refol. 27. §. Verum quid.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè, dummodo excessus stipendij alteri Sacerdoti manifestetur, & illud plus scienter ab illo, & gratis relaxetur, & ita nemini dubium est, ut notat Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. part. 2. de sacrificio Missæ, q. 2. dub. 8. concl. 1.* & Homobon. *de exam. Eccl. part. 1. tract. 4. cap. 14. q. 191.* Sacerdotem posse sibi retinere pecuniam, quam pro sacro faciendo accepit, si illud gratis ab alio fieri procuret.

2. Et Villalobos in *summ. p. 1. tract. 3. diff. 15. n. 4.* asserit, Episcopum non posse ordinare, quod Sacerdotes non dicant Missas pro minori stipendio à lege taxato, nam vnusquisque potest liberè condonare quicquid vult; & ita in decisione huius dubij (licet immeritò his diebus aliqui contradixerint) mecum consentiunt multi viri docti Societatis Iesu, & is nostræ Religionis, de hac re à me consulti, quibus adde Illustriss. de la Riba Vicarium Generalem, etiam de hac re à me consultum.

RESOL. XXXII.

An quis possit diminuerè Missas in compensatione damni dati non obstantibus Decretis Urbani VIII.

Et pro praxi huius questionis fingitur curiosus casus in textu huius Resolutionis. Ex p. 10. tract. 16. & Miscell. 6. Ref. 66.

§. 1. **F**ingamus, quod aliquis secularis commendasset alicui Monasterio, v.g. centum Missas, eæque celebratæ essent, nihilominus pro recuperando stipendio ipsarum, aliquas expensas fecerit Monasterium, eo quod qui ipsas commendauerat, nolebat illud soluere, si postea idem secularis alias Missas eidem Monasterio commendasset, posset Monasterium compensare damnum sibi allatum, diminuendo in his centum Missis id quod consumperat in stipendio aliarum recuperando. Ratio est, quia sicut Sacerdos accepto stipendio tenetur ratione iustitiæ Missas celebrare, ita etiam commendans Missas tenetur ratione iustitiæ in vtroque foro stipendium tribuere. Cum autem in obligationibus iustitiæ, detur compensatio, ita & in præsentis. Ita docet Lezana in *sum. quest. reg. tom. 4. verb. Missa, n. 34.* cui adde Pellizar. in *Man. reg. tom. 2. tr. 6. c. 3. n. 1.* & ante illos Peyrinus in *Prinileg. Minim. tom. 3. c. 1. n. 37.* Nec obstat huic responsioni decretum Sacræ Congregationis præcipiens, ut absolute celebrentur tot Missæ, quot ad rationem attributæ elemosynæ præscriptæ fuerint; si quidem Sacra Congregatio loquitur de Missis debitis, ex stipendio; cum tamen in præsentis casu Missæ, quæ modo dicto omittuntur ad faciendam iustam compensationem, non possint dici debite ex stipendio, quantumuis solum fuerit stipendium ipsi respectiue correspondens, quippe quod, dato iure compensationis, fictione, ut ita dicam, iuris, non censetur solum pro

Missis, sed in compensationem damni alias iniuste illati, & consequenter, quoad inducendam obligationem, celebrandi dictas Missas, perinde se habet, ac si re vera non fuisset solum.

2. Sed hæc opinio nunquam mihi placuit, & potius inueni, non placuisse docto P. Tambur. *de Sacram. Missæ lib. 3. c. 1. §. 3. n. 103.* Nam, ait ipse, fac Missas celebrandas esse pro anima purgatæ, vel pro impetranda sanitate alicuius, nõ erit æquum, ut hi patiuntur damnum in re tam graui ob delictum debitoris illius, etiam si anima, & infirmus ad eundem debitorem pertineant. In illo igitur solum casu prædictam compensationem admittentem, quo constaret, totum damnum esse solius debitoris, & nullo modo retij-

RESOL. XXXIII.

An, si quis, v.g. accipit stipendium pro vna Missa, sciens ex iniustitia ad mortale, si Missam non dicat, teneatur illud restituere?

Et an Sacerdos, qui liberaliter promittit alicui vnum Sacrum animo obligandi, si promissum non implet, peccet mortaliter?

Et docetur pluribus pensibus sine stipendio Sacrum à Sacerdote posse vna Missa satisfieri.

Ex quo inferitur, quod Religiosi, qui ex vi sua Regule, & Constitutionum tenentur certis diebus offerri sacrificium pro defunctis sui Ordinis, pro Capitulis, & Benefactoribus, possent licite offerre idem sacrificium pro aliis, à quibus stipem acceperim. Ex p. 10. tract. 15. & Miscell. 5. Ref. 43.

§. 1. **D**e hoc casu nouissime interrogatus, & pro negatiua sententia adducebant me ipsam, & Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 2. sum. 2.* asserens, omissionem vnius Missæ, pro qua receptum est stipendium, non esse peccatum mortale.

2. Sed ego affirmatiuè respondi, & addo *Dicitur de Sacram. tom. 1. tr. 5. disp. 4. dub. 22. n. 421.* vbi licet illud autem mihi omnino verum videtur, quando quis accipit stipendium satis magnam, ita ut tantumdem furto ablatum esset materia grauis furti, si non dicat factum, & retineat stipendium, peccare mortaliter; nam retineret sine titulo pecuniam confisrabilem, eamque deberet restituere: titulus enim retinendi est ob causam dicendi Sacrum, atque ipsa oblatio sacri est, sub cuius conditione datur.

3. Respondebit tamen aliquis: Ille factus est dominus stipendij, & solum illi remansit obligatio offerendi Sacrum. Ea autem obligatio præcisè, ut est obligatio sacri dicendi, non censetur materia grauis: ergo nec est peccatum mortale, nec tenetur ad restitutionem: pecunia enim possidetur sub obligatione suscepta: obligatio autem non est de re graui. Totum ergo peccatum consistit non in retinendo ipsa pecunia, cuius iam factus est dominus sub eo onere, & obligatione dicendi Missam: sed consistit in eo, quod non implet obligationem, quæ obligatio non est de re graui iuxta dictam opinionem.

4. Nihilominus ita fit dominus Sacerdos illius pecunie, ut semper remaneat obnoxia restitutioni sub conditione, si non impleatur; cumque conditio dicendi Missam non impleatur, retentio pecunie iam est retentio rei grauis in materia iustitiæ sine titulo; atque adeo peccatum mortale est illam retinere & deficiatque titulus retinendi, deficiente impletione illius muneris, & obligationis, sub qua conditione datur, & ob eam causam.

5. Respondebit quis secundo, talem Sacerdotem posse restituere pecuniam, si Missa dicatur etiam per alium,